ALEXANDER. PP. VII.

Morbio 27 (48)

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestrae quantum cum Domino possumus benigne consulere, Vosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existitis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes. Supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Vobis qui, ut asseritis Loci Montubelli Mantuan. seu alterius Dioecesis Iurisdictionem temporalem in eo exercentes Marchio, et Marchionissa respective existitis, ut in privato domus vestrae habitationis in Civitate et Dioecesi Mantuan. oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, et approbando ac de ipsius Ordinarii licentia eius arbitrio duratura unam missam pro unoquoque die, et dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia quae adhuc duret alteri concessa non fuerit per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum saecularem seu de Superiorum suorum licentia regularem sine tamen quorumcumque Iurium Parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Penthecostes, et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus dumtaxat exceptis, in vestra ac natorum vestrorum, familiaeque vestrae praesentia, celebrari facere libere et licite possitis et valeatis, et quilibet vestrum possit, et valeat, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod alii familiares vestri servitiis vestris actu non necessarii inibi missae interessentes ab obligatione audiendi missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI februarii MDCLVI Pontificatus

Nostri Anno Primo.

S. Gualterius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1874770484-18/fragment/page=0001
DFG

1656 Febr. 16

Dilecto filio Cesari Guerrieri et dilecto in Xpo
filiae Sauinae Crittini Coniugibus nobilibus Mantuan.
Civitatis vel Dioec.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Morbio Z7 (48)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1874770484-18/fragment/page=0002